

- 11 *Quenam præcedant melancholicos morbos.*
 12 *Tumor & moestitia longo tempore perdurantes, hominem melancholicum ostendunt.*
 13 *Qui per circuitus insaniant, ante accessum quid patiuntur.*
 14 *In omnibus melancholicis morbis, qui per circuitus moriuntur, quid ante accessum præcedat.*
 15 *Ex insanientis modo quomodo deprehendatur simulatio.*
 16 *Quibus ingenii simulata insania deprehendatur.*
 17 *In insanientibus animi affectus commovendi.*
 18 *In simulata insania vix fieri potest, ne aliquid signum commoti affectus non appareat.*
 19 *Insania aliquando medicamentis procuratur.*
 20 *Insania medicamentis procurata quomodo deprehendi possit.*
 21 *Insanie medicamentis procurate signum non committendum.*

De Simulata Insania.

QUÆSTIO V.

Nillus morbus fere est, qui facilius & frequentius simulari solet, quam insania, nullus item, qui difficilius possit deprehendi; eamque ob causam adnotare licet, nonnullos sapientes viros, ac summi ingenii, & virtute maxime insignes insaniam aliquando simulasse, vel ut se periculis præminentibus eximerent, vel ad alium quemdam laudabilem finem, ut de David in sacris, & de Vlyse, de Solone, de Iunio Bruto, de aliisque in profanis historiis legimus. Quamquam Claudius Imperator librum edidit teste Sueton. in eius vita cap. 38. Moron anastasis, cuius argumentum erat, insultum neminem fingere, fortasse quia in ea opinione fuit, quod stultitia simulari non posset. Cæterum de veræ insanie quamplurimis speciebus copiosissime egimus lib. 2. tit. 1. quatenus ad nostrum Legale argumentum pertinebat; nunc de simulata loquentes, dicamus, quod insania, quæ & facilius potest, & frequentius simulari solet, aut simplicem melancholiam, aut cum furore conjunctam representat; potest & eodem modo simulari fatuitas, adjuncta etiam surditati, & mutitati, quæ tamen rarius simulatur; idcirco antea de prioribus loquamur. per ea vero, quæ loco citato dixi, patet, quid intersit inter melancholiam, & furorē, nimirum, quod illa affecti in quiete sint, timidi, tristes, animoque demisso, hoc autem laborantes, in perpetuo motu, sine ulla requie, audaces, & iracundi. In mentem ergo revocanda in hoc casu maxime sunt signa utriusque morbi, à Doctoribus in suis prædicis diligentissime tradita: consideranda enim primo facies, quæ in his, qui verè melancholici sunt aut furentes, tendit ad quasi terreum colorem, vel lividum, aut est ultra consuetam rubicunda, sed cum quadam lividine ob melancholice admixtionem, in furentibus præsertim, & præcipue secundum oculos, qui tamen in melancholicis colore sunt fusco, ex ipsorumque maxime intuitu interni melancholici humoris copia, & turgentia transparet: fixantur enim aliquando ita, ut ægrotantes stupidi appareant, in aliis nonnullis excavantur, & in oculorum cavitate quasi se retrahunt, & abscondunt, quod frequentius in furentibus evenire solet: cum accessio visit, sanguinolenti fiunt cum tortuositate quadam, venæ extenduntur, genæ interdum rubent, si sanguis

melancholice sit admixtus, corporis durities quadam, & non consueta apparet nigrities, se ipsis fortiores evadunt, iracundi fiunt, minimaque ex causa excandescunt; clamant, vociferantur, abscribunt, præsentibus minantur, torvo aspectu sunt, & violento corporis motu formidabiles. Quilibet ergo videt, quod hæc omnia simul non tam facile effingi possunt; & si animum prudens Medicus adverterit, ex plurimorum supradictorum absentia aut presentia sine magno negotio deprehendere poterit, quando furor aut melancholia vere fatiget, quando vero simulat. Adest insuper præter hæc omnia signum maximopere considerabile, quod est perpetua vigililia, quæ tam furentes omnes, quam melancholici magna ex parte perpetuo afficiuntur, vel ob humoris ipsius, qui cerebrum obsidet, siccitatem, vel ob quamplurimam phantasmata, quæ imaginationi præsentantur, & illa quidem maxime afficientia primum ipsum sensorium; adeo enim vividam sese illi offerunt, ut non aliter ac si vera & realia essent, ipsum moveant, ob quorum indefinenter oblationem vigililia excitatur his ægrotantibus adeo molesta & damosa, ut recte dixerit Celsus, somnum in his tam difficile esse, quam necessarium; itaque hoc uno signo considerato, aliquando deprehendere licebit eum, qui furorem simulat, impossibile enim est, hunc consuetum somno non capi, ac præter morem per longum tempus vel volentem vigilare, ubi causa interna cum vigilare non cogat.

His consideratis, ad externas prægressaque causas oculos animumque convertamus; ac sciendum ad horum morborum procreationem requiruntur, & perseverantiam, & magnitudinem causarum; quæ ejusmodi morbi, ut deinceps demonstrabo, non fiunt, ut alii, derepente aut modico tempore; sed quemadmodum ob naturam peccantis humoris, qui motus est tardissimi inter alios, cum sua natura crassus & terrestris existat, hi morbi longi sunt, & maxima cum difficultate terminantur, sic habent quoque principium, & insultum maxime diuturnum. Ergo considerata causa externa, & antecedenti, quoad magnitudinem, an sufficiens nimirum fuerit, nec ne ad talem procreandum morbum, adnotanda etiam ipsius causæ perseverantia, per quam poterit longo temporis spatio humor multus atrabilarius in corpore aggregari, & inde spiritus infici, ac mens ipsa consequenter depravari.

Præterea consideranda sunt, quæ solent hujusmodi morbos præcedere, accidentia nempe quædam in ipso ægrotante; ut enim patet ex Hipp. sententia Aphor. 6. num. 23. Melancholiam, & consequenter illi similes passiones præcedere solent Timor & Moestitia, per longum tempus perseverantes: ægri insuper vigiliis, & inappetentia molestantur, somniique melancholicis ac turbulentis, si quando somno indulgere possunt, perturbantur; hominum conventum, præcipue gaudentium & lætantium, fugiunt, intra se loquuntur, & obmurmurant, & aliquando absque causa lachrymas effundunt, neque propria moestitiæ, timoris, aut fletus causam ullam, quæ satisfaciatur, reddere norunt; ubi horum ergo nihil præcessisse comperias, sed ex abrupto melancholiam aut furorem irrepisse, de simulatione non solum quantum est hoc, suspicari prudenter licet, sed quasi certitudinem habere: quod prudenter etiam adnotavit Sylvaticus loco citato cap. 10. de hac eadem materia verba faciens, nam maxime

maxime ad id advertendum, quod dixi, quod hi morbi nunquam derepente, aut ex abruptoprehendant, absque eo quod prædicta per aliquod saltem tempus prægressa fuerint, quod non solum verissimum est in his, qui alias nunquam insanierunt, sed etiam in illis, qui per circuitus quosdam insaniant, aut furunt; hos enim instante tempore, quo delirare solent, contemplari licebit consueto magis tristis ac merentes, solitudinem eligere, secum ipsis mulsiare, tandemque in apertam insaniam, aut manifestum furorem labi: immo & hoc ipsum in morbis omnibus melancholicis, aut qui melancholice vitio fiunt, experiri licet, maxime cum per circuitus moventur, ut in Epilepsia, in Quartana, & aliis: videbis enim in Quartanariis (quorum abundantia facilis id experiri nobis permittit) ea die, qua febris inflat, per multas horas ante, immo per totam diem, delirium quandam & tristitiam, coloris mutationem, membrorum gravitatem pati, & hujusmodi alia, quæ quilibet ex se observare potest, hoc cur ita fiat, superius annuimus, dicentes, fieri ob humoris melancholici naturam, qui tardissimum motus est, unde vides, quantum etiam ipsa febris cum ab eo humore originem habet, tardi motus sit, non solum respectu temporum universaliū ipsius morbi, cum & principium, & augmentum, & statum, & declinationem habeat quam longissimam, sed etiam respectu temporum particularium in ipsis accessionibus. non enim nisi de quarto in quartum repetit, & eadem tempora, ut universalis morbus, longissima habet. cum ergo etiam in his particularibus morborum accessionibus constet, præcedere per multum tempus ea signa, quæ diximus, id multo magis habere locum in furore, & melancholia necesse est, quia nobiliorem partem obsidet humor, nempe caput, cui totum corpus consentire dubium non est; quod si talia non appareant, simulationis suspicio libet.

Cæterum ex ipso insanienti modo potest etiam aliquid veritatis elicere, aliis adhibitis adiuventis; siquidem, qui verè insaniant habent ut plurimum quasdam hereses, & imaginationes quasdam absurdissimas circa quædam particularia, circa quæ ut plurimum dementiant, multaque effatiant ac delibenter. alii enim se mortuos esse putant, idcirco comedere, bibere, loqui, aut quicquam agere reculant; at ne talem insaniam nunquam simulabunt, qui per fraudem alios decipere student. alii se in aliqua parte corporis ulcera maligna, apostemata, tumores ingentes, & hujusmodi pati somniant, alii capite se carere autumant, alii se ad æternum damnatos ignem prædicant, neque amplius servari posse; alii denique alia absurda imaginantur, & circa eam rem, cuius occasione delirant, interrogati perperam respondent, & manifestissime se insanire ostendant, circa alia tamen prudentes aliquando responsiones reddunt, ita ut vix crederes, eos ullo modo insanire aut mente motos esse. at ubi ista insania sit, non modo circa id, cuius causa insanire se fingunt, extra rem respondent, sed etiam circa quæcumque alia, immo maxima cautela utuntur, ne quicquam prudenter dicant, aut faciant, putantes eo modo eorum fallaciam deprehensum iri: non tamen ob id negaverim, esse ex insanientibus nonnullos, qui nullatenus ad rem respondent, eo quia non circa particulare quoddam insaniant; sed considerandum admoveo, quod ubi talis insania simularetur, nimirum

circum particularia, ut exempli gratia, si aliquis simularet se insanire, affirmans, se mortuum esse, tunc si hic etiam circa alia omnia insanire se loquendo ostenderet, simulationis suspicionem faceret, & affectatæ insanie, difficillimum tamen profecto est ex solo insanienti modo, ut ex simplici observatione verborum & actuum absurdorum, deprehendere veram insaniam, quare alia quoque adminicula adhibenda sunt.

Denique nonnulla ingenia ad insaniam deprehendam proponuntur, scio primum doctissimum & expertissimum quemdam Medicum, cuius nomen iustus ex causis non profero, cum sibi oblatus esset is casus, in quo de simulata insania ambigebatur, insanum illum multis verberibus affici illico iussisse, eo sine & intentione, ut si vere insaniret, iis verberibus humores ad vapulantes partes diverteret, si vero simularet, eorundem verberum virtute vel nolens respiceret; ut res ipsa commonstravit. itaque hoc ingenio nobis quoque uti licebit, & ubi ab eo opere humana pietas nos distraheret, saltem minis primum, & timore incusso de veritate certiores fieri queramus. quod si non sufficiant minæ, non erit ab illo abstinentum.

Alia via est, ut omni ingenio, ac clam, quantum fieri poterit, commoveamus in eo, qui insanire se simulat. Animi affectus, præcipue vero spem, iram, lætitiā, & alios his congeneres, ad quorum excitationem, si ut par est afficiatur qui insanum se fingit, jam de simulatione suspectos nos reddere potest, quia in vere insanientibus, præcipue autem Melancholicis, & furentibus nulla spes, neque ulla lætitiā, neque ira, aut exandescencia nisi vana, & ex nulla occasione convenienti, sed præter rem omnino apparet, neque quicquam ad unius, vel alterius affectus commotionem irritantur; est enim in illis Mens veluti alligata, & fixa ab ipso humore melancholico, & ita in phantasmatibus sibi ab eo humore præsentatis abstracta, ut ad alia nequaquam se convertere possit, non secus ac somniantes facerent, si circa illos quicquam existeret, quod eos ab eorum imaginatione, & somnio distraheret. Contra ergo ubi insania simulata sit, vix fieri poterit, quin homo conceptæ spei, aut lætitiæ signum aliquod in verbis, in gestibus, in ipsi saltem facie non patefaciat, nam, ut Iuvenal. dicebat Sat. 4.

Deprendes animi tormenta latentis in ægro Corpore, deprendes & gaudia, sumis utrumque Inde habitum facies.

ex quibus signis si alias conjecturas adhibebimus, facile simulationem deprehendere nobis licebit. Ultimo loco ad interrogationes devenire licet, sed ab his facile sese extricant, qui simulant, ad rem nequaquam respondentes; & idcirco difficile est ex his quicquam quod ad rem faciat elicere. exemplum habemus lixæ illius ex Illyrico exercitu iuxta cubiculum Octavii Augusti deprehensus cultro venatorio cinctus, is enim imposte mentis, an simulata insania incertum, nihil enim exprimi quæstione potuit, inquit Suet. in Oct. cap. 19.

Cæterum à nonnullis affectatur insania, hoc est medicamentis quibusdam procuratur, ut penas, vel carceres effugiant; quibus autem medicamentis id fiat, non detegam: multa eorum recensuit data opera Sylvaticus, quæ apud ipsum vide

in lib. saepe eu. de his qui morb. simul. cap. 10. multa etiam habentur apud rei herbariae scriptores, de Vino, & Cerevisia notissimum est, quod breuem insaniam inebriantes procurent. sed insaniam huius generis ob temporis breuitatem non egent ulteriori diligentia, ut deprehendantur, aut curentur. majus negotium exhibent quae nonnullis medicamentis sunt, quae vel perpetuo dehinc perdurant, vel ad multos subsequentes dies. Ego igitur, ubi huiusmodi suspicioni daretur locus, contrariis medicamentis & antidotis contra procuratam insaniam pugnarem; nam vel ea medicamenta calidiora fuerunt, vel frigidiora; utraque varietate symptomatum se produnt, sed calidiorum in hac re minor usus, quod potius breuem, quam longam insaniam procurare possint, tamen contra ipsa infrigidantibus pugnandum; contra frigidiora autem calefacientibus. in omnibus autem Theriaca, & Mithridatum suas vires exercent. Interimque frictio-nibus, cucurbitulis, ligaturis, & omni diversio-num, ac reuulsionum genere insistendum, ut à capite tetros vapores prohibeamus, ipsumque quantum fieri possit, expurgemus. sed procurata insaniam non contemnendum signum erit, immo magis hoc in casu habebit locum, quam in aliis, si ex abrupto, & derепente appareat, praecipue si ex fatuitatis genere sit.

S V M M A R I V M.

1. Morbi cum defectu Animi aliquando simulantur.
2. Morbi cum defectu Animi magni sunt ratione partipatientis, & symptomatis.
3. Simulata Apoplexia quomodo deprehendatur.
4. Apoplexia simulata in ipsa accessione quomodo cognoscatur.
5. Ex stermitamentis applicitis impossibile est simulatam Apoplexiam non excitari.
6. Epilepsia simulata quomodo deprehendi possit.
7. Ecstasis simulata qua via deprehendatur.
8. Ecstasis ficta à quadam Muliere historia.
9. Syncope simulata quomodo deprehendatur.
10. In simulata Syncope non sequuntur ea, quae in vera semper consequi solent.
11. Facies pallor quomodo procuratur, & quibus ingenis deprehendatur, qui sissim fuerit procuratus.
12. Pallor faciei procuratus per ebibita medicamenta quomodo cognosci possit.

De simulato morbo cum defectu Animi, & Sensus amissione, ut Syncope, Apoplexia, Epilepsia, Ecstasis, & aliis.

Q V A E S T I O VI.

MORBUS, qui cum defectu Animi sunt, licet difficulter simulari posse quis credat, eo tamen malitia hominum processit, ut hos ipsos tam apte, tamque apposite effingant aliqui, ut interim tanto difficilius simulatio deprehendatur, quanto minus de simulatione suspicamur, tamen ne in his casibus tanquam imprudentes decipiatur, nonnulla in consideratione adhibenda, antequam sententiam no-

stram de veritate proferamus. Sciendum ergo quod cum hi omnes morbi ratione partis affectae, quae vel caput est secundum anteriorem partem, & maxime secundum ventriculos, vel Cor aut per se, aut per consensum, vel utrumque simul, & ratione symptomatum, quae magna sunt, magni & ipsi re vera sint, non possunt nisi à magna causa provenire, & consequenter non possunt hominem multum non laedere. Sed ut peculiariter de singulari sermone habeamus, simulata primum Apoplexia ab ipso exitu facillime deprehendi potest, quia vera vel in mortem, vel in paralytum perpetuo degenerat; cumque ejus accessio tertiam diem non pertranseat, facile est, ut dixi, ab ipso eventu veritatem rei elicere. quod si in ipsa accessione urgeat veritatis cognitio, hoc facile fieri potest valida remedia adhibendo, nempe fortes reuulsiones per dolorosas ligaturas, & sensum multum inducentes, per cucurbitulas cum multo igne appositas, ac per vim avulsas, per inuisiones & cauteria, quae omnia habebunt eundem finem, quem verbera diximus habere in insanientibus. sed praeter omnibus veritas constabit per applicationem stermitamentorum; impossibile enim est eorum vi simulatam non excitari, & ad sensum volentem nolentem non redire. eadem vero in Epilepsia locum habent; quo ingenio usus doctissimus Medicus Sanctoorellus, Virginitatem simulatam se Epilepsia detineri falsitatis redarguit, ut narrat ille in sua Antepirax. lib. 7. cap. 19. In Ecstasi quoque eadem in usum convocari possent. sed de hac major difficultas est ob causam, propter quam simulari solet; non enim simulatur à Reis ad poenas evitandas, & ad tormenta declinanda, aut ab aliis ut immunitates obtineant, vel onera effugiant, sed ab Hypocritis quibusdam ad homines decipiendos, & sanctitatis nomen sibi conciliandum. vulgus enim fraudis nefcius raptum illum non adeo vili frequentem tanquam rem supernaturalem, & miraculosam admirans, eos veneratione potius, quam tormentis dignos dijudicat, neque adeo permittit illos molestari, aut huiusmodi experientias per proposita medicamenta de illis sumi: praeterquam quod multo facilius simulatur Ecstasis, quam praedicti alii morbi. Vidi ego mulierem mihi satis notam, quae se, ubi frequens hominum coetus in templis sacrisque locis convenisset, raptam in Ecstasim effingebat, & admiratione non parva dignum erat, quam apte simularet. Stabat extensis brachiis in Crucis modum, palpebris immobilibus, oculis fixis, & per horae spatium, ac ultrò eo in actu perseverabat. interdum veluti ad caelum volatura, & in aera se elevatura corpus attollebat, illud mirum in modum extendens. sed admirationem omnem superare mihi visum est, quod vultum in mille colores vel ictu oculi commutaret; nam modo rubescebat, & quasi ardore quodam incendi videbatur, modo adeo pallefcebat, ut quasi emortua langueret, denuo, ac dicto citius, rubore perfundebatur, ac denique veluti animo deficiens ad se ipsam redire simulabat, ita ut circumstantes omnes eam divino raptu prehensam pro sancta venerarentur, & ad illius vestimenta devotionis ergo tangenda, quaecumque muliercula & homunciones aderant, turmatim accurrerent, non sine mei ipsius risu, & multo majori, ut credo, ipsiusmet feminae derisu, quam ego quidem intus & in cute agnoscebam; erat autem Sicula. Alia insuper apud alios auctores graves habentur.

Card.

Card. lib. 8. de variet. cap. 43. in princip. haec habet: Narratur de quodam Presbytero qui quoties volebat, jacebat ut mortuus absque anhelitu, nec solum vellicantes, sed & pungentes non sentiebat, & ad motu igne amburebatur absque dolore. Id mirum & incredibile multis videri posset, qui hoc apud Turcas frequens esse ignorant: multo vero minus, si quidpiam tale apud nos esse docuerimus. Quorum primam hoc est, quod quoties volo, extra sensum quasi in Ecstasim transeo. 2. Quidam fuit, qui quoties vellet, fiebat paralyticus, id est, jacebat absque sensu & sicut mortuus. ex Avic. idem Card. ibidem. hunc autem Card. voluit in Ecstasim raptum quoties vellet, hoc enim intellexisse Avicennam, dicit ipse illis verbis: Qui quoties vellet, fiebat paralyticus. Sed ad rem nostram redeunt, dicimus difficultus esse per alia signa, quam per superiora Ecstasim veram à simulata distinguere. videnda tamen ea sunt, quae tit. 1. lib. 5. seq. attulimus quest. 6. ubi quaenam consequantur ad Ecstasim naturalem, docuimus, quae, ubi illa simulata sit, minime consequantur, & ex his veritas innotescet.

9. Sed Animi defectum, lipothymiam, & praeter omnibus Syncope deprehendere quando efficta sit, aut vera, non adeo perosum diligentem Medico est; quippe qui notum habeat, à quibus talia symptomata originentur, & quaenam ad ea consequantur: impossibile enim videtur quaedam ad amissum posse representari in ficta Syncope, ut in vera eveniunt. veluti fuit pulsus languidi, parvi, remissi, sudores frigidi, totius quoque corporis refrigeratio, squallor item faciei, & pallida mortis imago. haec enim in vera Syncope omnino apparent, & magna etiam ex parte in Animi defectu, & lipothymia. at ubi tales affectus simulati fuerint, pulsus constabat, (nisi fraus etiam circa hoc lateat, quemadmodum supra amondimus) neque sudores aderunt, neque extremorum frigus, nec squallor, ac pallor faciei, nisi hic etiam ante sit procuratus, nam aliquando, ut vere se agrotare vel ipso aspectu demonstrent veritatem & callidi homines, sufficiens nonnullis, aliisque ingenis colorem faciei immutant ex virido in pallidum, quam malitiam deprehendemus. primo si, ut consulti Sylvaticus cap. 14. de his qui morb. simul. malitiam malitia superare tentemus, & tanquam praesentaneum remedium ad concidentes hominis vires, aquas aliquas odoriferas, vinum malvaticum, acetum rosatum, seu cariophyllatum pro faciei lotionem ipsis proponamus, & nobis praesentibus in usum id Medicamenti trahi studeamus. deinde considerentur artus discooperiti, & universum quoque corpus, nam si pallor sufficiens sit procuratus, reliquum corpus non pallefcet, sed suum nativum colorum servabit.

12. Quod si per ebibitum aliquod medicamentum pallor sit excitatus, difficultus quidem erit hanc fraudem deprehendere, quia neque lotioni cedet pallor, neque partularis erit, sed toti corpori communis. consideranda tamen in hoc casu reliqua accidentia; nam fieri nequaquam potest tantum pallorem non habere cum se aliquod magnum accidens, ut extremam debilitatem, lipothymiam, syncope, vomitum virulentum ac molestum, aut aliam quamdam urgentem evacuationem, vigiliis continuas, dolores acerbissimos, & his similia, quae si non apparent, procurati palloris suspicionem facient, & ad malitiam detegendam alia tentabimus, quae prudentia Medica, & occasio

nobis offeret. Sed in syncope, quam simulari suspicamus, considerandus etiam praegressus aegri status, & causae omnes tam internae, quam externae, ut pateat, an consequens fuerit ex his syncope hominem affici, quae omnia peripaci Medico cogniti erunt facillima.

S V M M A R I V M.

1. Virginitas amissa quomodo reparatur.
2. Medici cur in reparanda virginitate mulieribus consilium praebent.
3. Simulata virginitas ex quibus deprehendatur.
4. Loca muliebria in Virginitate quomodo se habeant.
5. Lotiones ad deprehendamam fictam Virginitatem.

De Simulata Virginitate.

Q V A E S T I O VII.

CORRUPTA juvenulae, ne propriam impudicitiam prodant cum primum viro nubunt, cui per vasorum muliebrium laxitatem corruptio apparere possit, eadem vasa nonnullis lotionibus adstringentibus, aliisque aptis medicamentis adhibitis adeo adstricta & angusta reddunt, ut non modo naturalem coherentiam ante violatam Virginitatem adhaerent, sed etiam longe exuperent, & sunt ex Medicis multi, qui remedia nonnulla ad hoc ipsum procurandum in medium afferunt, nempe ut corrupta mulier incorrupta appareat. hoc autem non modo ad evitandam mulierum infamiam, quandoque stuprum ante nuptias passae fuerint, efficiunt, sed eo interdum sine, ne nimia muliebrium vasorum laxitas, & delectationem in coitu impedire, & conceptionem etiam inhibere possit. Quoniam autem, ut Titul. de Virginitate, & Stupro lib. 5. dicam, interdum pro veritate Medicus interrogatur, & in Iudicem adhibetur, ut de integra, seu violata Virginitate sententiam ferat, ne ex simulata per haec medicamenta decipiatur in judicando, paucula haec quae sequuntur animadvertere debet. Et primo debet ea omnia examinare, quae dehinc, cit. tit. de Virginitate afferemus, neque ea solum, quae ex muliebrium vasorum constitutione desumuntur, pendere, sed alia quoque, quae ex mammaram, pectoris, ventris, totiusque denique corporis statu elicere licet, quibus ponderatis ad muliebria loca consideranda se conferat, quae ubi naturaliter habeant, coherentem quidem ac connivere reperiet, sed naturali quadam humiditate earum partium propria dotata adnotabit. at ubi medicamentis adstringentibus, praesertim vero validis ac potentibus usum sit mulier, ea loca exucca, & indurata, ac contracta inveniet, & in summa à naturali constitutione manifeste deficiere. neque quoad constitutionem solum, sed etiam quoad tactum, & quoad colorem immutata experietur. his tamen non contentus, qui certioris veritatis studio detinetur, lotiones etiam relaxantes & emollientes adhibeat, quales erunt ex decocto Malvae, Bismalvae, Violarum, Branchae urinae, Betae, Foenograci, feminis Lini, Meliloti, & huiusmodi. quod & admonet Medici, Codronch. in Method. Testif. cap. 11. & ex Iureconsultis Carrar. de Med. par. 4. num. 166. In horum tamen adhibitione animadvertendum, quod non illico à lotionem veritatis experimentum sumendum est, sed post convenientem locorum

exficacionem, quoniam immediate post fomenti adhibicionem absque dubio loca relaxata, & patientia comperiet. sed si exficari permittantur, si virgo femina sit, loca invicem coherent, & naturalis constitutio evidenter apparet, si simulata sit virginitas collutione ariditas, contractio, & corrogatio locorum cessat, & ea patientia remaneat, manifeste corruptionem demonstrantia, quæ tanto magis manifesta fiet, si alia signa, quæ in violata Virginitate apparere dicemus una conspicua, & hic crunt. De constitutione autem Hymenis eadem, quæ ibi attulimus, hic veniunt consideranda; de qua tamen re plura attulit Sylvaticus lib. de his, qui morb. simul. cap. 9. negans omnino tale quidpiam in Virginibus reperiri, neque contemendam experientiam ex plurimis Virginibus ejuisdem Xenodochii captam assert. sit tamen quomodocunque, ex coherentia & symphisi naturali partium nonnihil deprehendi non negandum, neque Pinaeo idcirco fides dene-ganda.

Habent quoque in hoc casu locum ea medica-menta, quibus deprehendi Virginitatem dicam lib. 5. seq. eod. tit. 2. qui est de Virginitate quæst. 3. num. 18. quorum si ullus sit verus usus, facient etiam hic veritatis, aut falsitatis aliquam præsumptionem.

S V M M A R I V M.

1. Prægnantia quæcumque etiam Medicos latere potest.
2. Experimenta ad explorandam prægnantiam periculosa.
3. Mulierem, quæ se prægnantem simulat, cognoscere quod vero non gerat, non tam difficile est, quam cognoscere etiam quæcumque an pro certo utero gerat.
4. Delictum suppositionis partus est crimen falsi.
5. Probatio per conjecturas facta in actibus simulatis sufficiens est, ut in partu supposito.
6. Præsumptiones suppositionis partus unde desumantur.
7. Præsumptiones suppositi partus ex parte viri.
8. Præsumptiones ex viri ætate.
9. Præsumptiones ex viri temperamento.
10. Præsumptiones ex viri habitu.
11. Præsumptiones ex prægressa viri sterilitate.
12. Præsumptiones ex constitutione genitalium viri tum.
13. Privatio unius testis in viro an faciat præsumptionem aliquam difficultatis generandi liberis. Et quid in femina, num. 15.
14. Unius Testis vir generare potest.
16. Privatio unius testis quandonam faciat aliquam præsumptionem difficultatis generandi ex parte viri.
17. Præsumptiones ex parte mulieris.
18. Præsumptiones ex mulieris ætate.
19. Præsumptiones ex mulieris temperamento, & habitu.
20. Præsumptiones ex prægressa mulieris sterilitate.
21. Præsumptiones ex mulieris frigiditate.
22. Præsumptiones ex locorum inspectione.
23. Præsumptiones ex menstruis.
24. De raro contingit mulierem menstruis destitutam concipere.
25. Macis contra Naturam est mulierem senescentem, quæ ob ætatem menstruis privatur, concipere, quam mulierem juvenem, quæ non menstruat ex morte.

26. Mulieris nonnulla menstruis destituta conceptum.
27. Præsumptio simulatæ prægnantia ex non superveniencia lactis.
28. Præsumptiones suppositionis partus ex parte utriusque, non per viri, & uxoris.
29. Præsumptio ex prægressa sterilitate utriusque.
30. Præsumptio ex utriusque habitu.
31. Præsumptio ex odio inter conjuges.
32. Odium inter conjuges impedit generationem.
33. Præsumptio suppositi partus ex dissimulandis ad præsumptos parentes.

De simulata Prægnantia, & de Partu supposito.

QVÆSTIO VIII.

Prægnantia per ea, quæ lib. 1. harum quæstionum tit. 3. par. 1. dixi, tam facile non idiotas modo, & mulierculas, sed doctos etiam quoscunque Medicos latere potest, ut nullo modo ab illis deprehendi, & ex consequenti ob eam causam non magna cum difficultate simulari possit, & quæ periculosa quoque ea sunt experimenta, quæ ad prægnantiam veritatem deprehendam adhibentur, idcirco videtur omnis via præcisa, quæ nos ad veritatis cognitionem in hac re ducere poterat.

Sed profecto licet difficillimum sit cognoscere pro certo mulierem utero gerere, non adeo tamen difficultè cognosci pro certo potest, in ea, quæ simulet, nequaquam illam in Vtero habere, præcipue si de vetustiori prægnantia agatur, ut de trimestri, aut majori; ubi enim potiora signa non appareant, ut lac in mammillis suo tamen tempore idoneo, ventris tumefactio, & calor, motus quidam levis in utero, & alia hujusmodi, adhibitis quoque conjecturis nonnullis ab extra desumptis, & aliis, de quibus infra, mulierem utero gerere aucter negare possumus.

Cæterum nonnullæ mulieres, ut maritos vel amantes in sui amorem alliciant, filios ex eis suscepisse se simulantes, cum ipsæ per se steriles existant, aut saltem ex Marito vel Amante prolem habere non possint, non fecus ac aves alienis se pennis exornantes, partus alienos sibi supponunt, atque ea malitia & fraude Marito aut Amanti imponunt, prolemque non suam tanquam ex se susceptam alere, atque in posterum pro sua habere cogunt, cum autem hoc delictum Leges jure puniendum jubeant, nam illud est crimen falsi, quod capitale est, ut ex 4 adductis per Bos. in præf. crimin. tit. de part. supposit. & per Farinac. de fals. & simul. quæst. 151. par. 10. num. 239. licet de pœna non idem sentiat num. 242. patet, (ubi etiam plura habentur de hujus delicti gravitate) idcirco hic adducenda ea sunt, quæ ex artis nostræ industria possunt haberi ad veritatem in hoc casu propalandam. Et quia pro Legumperitis maxime faciunt præsumptiones, & conjecturæ in hujusmodi casibus, eo quia probatio per eas facta tanquam in actibus simulatis, & fraudulentis sufficiens sit, ut ex Bart. Iason. & Paul. dicit idem Bos. ibid. num. 3. & Farinac. ibid. num. 245. cumque plurimæ earum conjecturarum, & præsumptionum desumi possint à Medico, eas nos adducamus oportet, ut pro viribus Legumperitis, & plenissime satisfiat, de iis autem, quæ ad Legumperitos magis pertinent, licet eas Medico quoque; necessarium sit

sit cognoscere, non agam, quia apud eosdem Iureconsultos videri possunt, ut apud Farinac. ubi supra à num. 248. ad plures seqq. & Carranz. à num. 65. ad seqq. lib. de Partu, cap. 5. sect. 1. talis est ea conjectura, quæ delimitur ex delatione culcitæ, vel similis cujusdam rei supra ventrem, aut ea, quæ sumitur à partu in abscondito celebrato, & absque præsentia mulierum, & præcipue sine obstetricæ, & alia non dissimiles. Præsumptiones autem, & conjecturæ, quæ ad Medicos pertinent, vel desumuntur ex parte viri, cujus proles dicitur esse partus, qui suppositus præsumitur, vel ex parte mulieris, vel etiam ex parte utriusque. Ex parte viri desumuntur ab ætate, à temperamento, ab habitu, à sterilitate prægressa, & si possunt venire in considerationem, à partium genitalium constitutione. Ab ætate, ut quia nimis tenera, & infra 14 annum, vel nimis pro-vecta, & ultra sexagesimum, cum senex in ea ætate præsumatur impotens ad generandum per ea, quæ dixi lib. 1. tit. 1. quæst. 9. num. 31. & vide ex Iureconsultis Carranz. cap. 5. sect. 2. num. 65. ergo ubi in ea ætate constitutus vir fuerit, & partus dicatur ejus esse proles, præsumptio, quantum spectat ad hoc, erit pro suppositione partus. Farinac. ubi alia quæst. 150. par. 10. num. 252. in hoc tamen consideranda sunt & vires, & valeudo ipsius, nam siquidem senex vividus esset, & ut de Charonte Virg. 6. Æneid.

Iam senex, sed cruda deo, viridisque senectus, ac prospera fruatur valetudine, viribusque constet, illico cessaret hæc præsumptio, & particularia, ut censeo, decidenda essent Iudicis arbitrio, audita ante super hoc Medicorum sententia.

À temperamento desumitur etiam præsumptio, si illud evidenter in primis qualitatibus excedere comperiamus, nec solum totius temperamentum in consideratione habendum, sed etiam præcipuarum partium Capitis, Cordis, Hepatis, Genitalium; nam & harum partium excedens intemperies sterilitatem facere possunt, ut alias diximus. Effet tamen hæc præsumptio apud me minoris momenti, quam superior, præcipue si partis tantum esset, non totius, quia interdum unius partis etiam excedens dyscrasia temperatur à contraria dyscrasia alterius partis, & sic per eam non impeditur ullo modo generatio.

Ex habitu quoque desumi potest alia præsumptio, quia si vir, cujus dicitur esse suppositus infans, esset præpinguis, & exuberanti mirum in modum abdomine, aut contra esset admodum gracilis & extenuatus, infurgeret præsumptio suppositionis partus. uterque enim habitus impedire videtur fecunditatem, præcipue autem præpinguis. & adverte, quod licet hæc conjecturæ, & præsumptiones singulæ per se leviusculæ videantur, tamen omnes simul, & aliis adjunctæ facerent pluriquam semiple-nam probationem suppositionis partus, vel adulterii.

Ex prægressa sterilitate potest sumi præsumptio, & quidem magni momenti, ut optime sentit Farinac. de fals. & simul. quæst. 150. par. 10. num. 244. contra Menochii opinionem. Facit text. in l. Finitum. ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris. adductus à Carranz. ubi supra a. num. 70. ut si constaret hunc ipsum virum, cujus filius nunc dicitur esse partus, qui suppositus præsumitur, jam per multos annos huic ipsi mulieri, vel aliis etiam uxoris, & concubinis commixtum nunquam generasse; quod si cum hac

concurrerent etiam leviores alia præsumptiones, ego jam de supposito partu non essem dubius, aut de adulterio, vel saltem in affirmativam maxime inclinarem.

Ex constitutione autem genitalium, si ea contem-plari liceat, potest desumi conjectura maximi momenti, ut si in illis vitium aliquod notabile appare-ret eorum, quæ in hoc lib. tit. 1. diximus impedi-re coitum, aut generationem, vel si, cum non liceret viri genitalia inspicere, ut quia jam mortuus, adduceretur hæc præsumptio ab iis, qui agitant pro suppositione partus, & per habiles Testes probaretur; nanc enim præsumptionem magni etiam facit Farinac. loco citato num. 251. sed num privatio unius testis aliquam in hoc casu possit facere præsumptionem, si interrogemur, ego distinguendum censeram, diceremque hoc per se solum nihil me movere, cum jam alias probaverim, unius testis virum generare posse; cum aliis tamen indicis, non 14 esset omnino hoc contemendum. Adnotandumque pro hac re est ex Valasco de Tarantio, Medico veteri ac doctissimo, lib. 6. Phil. cap. 8. quod quamvis ii, quibus unus deficit testis, in juventute generare possint, tamen in senectute eorum genera-tiva deficit, quia senes cum duobus testibus modicum habent sperma, multo minus cum uno; itaque in sene privatio unius testis faceret aliquam præsumptionem suppositionis partus, etiam si non magnam ætatem ageret, & adhuc non pertransiret 65 annum, sed esset in 60, dummodo valde robustus non esset. In femina tamen etiam unius testis carentia 15 (nam feminas interdum castrari alias dixi) faceret non levem præsumptionem suppositionis partus, quia femina etiam unico teste abscessio redditur impotens ad generandum, ob multiplicem valorum lacerationem, quam in excisione eam pati necesse esset.

Cum hac etiam præsumptione ex parte viri conjungi potest ea, quæ ex totius corporis constitu-tione desumi posset, ubi nimirum apparent signa frigiditatis alias à me recensita, ut barbæ, & pilo-rum carentia in locis consuetis, & alia hujusmodi. & hæc præsumptiones desumi possunt ex parte viri.

Ex parte autem Mulieris conjecturæ desumi pos-sunt non fecus ac in viro, ab ætate, à temperamen-to, ab habitu, à sterilitate prægressa, à genitalium inspectione, insuperque à menstruis, eorumque qualitate, & quantitate. ab ætate mulieris de-18 sumitur præsumptio, quia ut dixi citato lib. 1. quæst. 9. num. 57. & seqq. mulier supra quinquagesimum concipere non potest ut plurimum, quod comprobatur universa Medicorum schola, teste Pla-ter. in Cent. Posth. Quæst. Medic. Parad. num. 38. & ex Iurecons. Farinac. ubi supra num. 252. & Al-phonius à Carranza num. 67. loco superius citato. im-mo pleræque in quadagesimo concipere desinunt, & ego quidem si alias conjecturas suppositionis par-tus haberem, hanc non parvi penderem, etiam si quadagesimum non excederet, quando per totam anteaquam ætatem non fuisset admodum fecunda. & ratio est, quia etiam si non sit impossibile, immo nec omni ex parte difficile, in ea ætate mu-lierem concipere, dummodo menstruis non desti-tuatur, ut dicemus, tamen cum hoc de raro admo-dum contingat, ut quæ juniores jam desierunt gene-rare, seniores factæ, & quadagesimo anno majores de novo generent, jure merito potest ex hoc capite aliqua

aliqua conjectura, seu præsumptio desumi, quod concipere non poterit, & sic de partu suppositio- ne non sine causa dubitabitur.

19 Eadem porro præsumptiones, quæ ab habitu, & temperamento viri desumi possunt, habent locum quoque in foeminis, nam non fecus ac in viris contingat, excedentes intemperantiæ, & habitus præter naturales in muliere fecunditatem adimunt, & generationem retardant.

20 Sed maxima inter omnes censenda ea præsumptio est, quæ desumitur ex ipsius Mulieris prægressa sterilitate. Farinac. ubi supra num. 244. Carranza cap. 5. de partu. scilicet. 2. num. 64. nam ubi mulier jam per multos annos viro uno, aut pluribus usa non conceperit, absque dubio sterilis dicenda est, nisi alia ex parte evidenter constaret, eam vitio virorum non concepisse, & nunc aut ex eodem marito, vitio sublato, aut ex novo conjugè prolem suscipere potuisse, nam, ut alias ex Lucretio dixi:

*Et multæ steriles Hymenæis ante fuerunt
Pluribus, & uicæ post sunt tamen undè puellas
Suscipere & partu possent distescere dulci.*

Hæc autem præsumptio tanto majoris esset momenti, quanto pluribus viris copulata fuisset mulier, & maxime si etiam per aliquod tempus postremo usa esset, & tamen non concepisset, ut per triennium, aut ultra. & cum hac etiam præsumptione adungi

21 posset, ut in viris diximus, præsumptio desumpta ex frigidity mulieris, nimirum si in ea apparerent ea signa, quæ frigiditatem in mulieribus attestari

22 suo loco dixi. A locorum porro inspectione posset præsumptio aliqua desumi, si præsertim illico ab editione partus, vel per paucos dies post mulierem inspicere liceret, de hac tamen præsumptione plura habentur quæstione seq. ad quam Lectorem remitto, nam est magni momenti.

23 Denique plurimi faciendam eam præsumptionem cenſeo, quæ à Menstruis desumitur, de qua tamen nihil præcitatè Iureconsulti, & quidem immerito: nam, ut alias dixi, quotiescunque, & quando- cunque mulier menstruis destituitur, etiam si ætatem juniorem degat, semper præsumptio debet esse pro suppositione partus, etiam aliis in contrarium

24 faciatis non obstantibus; quia nunquam, aut de raro admodum contingit, mulierem menstruis destitutam concipere, immo hoc inter admiranda & rara adnumeratur, ut per Marcell. Donat. lib. 4. hist. Med. mirab. cap. 23. eam tamen distinctionem reiteremus hic, quod hæc præsumptio multo magis urgeat, ubi per majorem ætatem menstrua defecerint, quam si ex aliquo corporis vitio defecerint, vel naturaliter non fluxerint; nam magis contra Natu-

25 ram est, mulierem, quæ per seniores ætatem non menstruat, concipere, quam eam, quæ ex morbo, vel ex naturali vitio menstruis destituitur: con-

26 tingit enim aliquas etiam non menstruas concipere, in quibus Arist. 7. de hist. Anim. cap. 2. tantumdem humoris colligi dicit, quantum iis, quæ purgantur restare solet. præcipue vero Rusticas quasdam mulieres, & laboribus affectas aut non menstruari, aut de raro, & in modica quantitate alias enarravi.

27 Aliam insuper conjecturam desumere possumus ex non supervenientia lactis, quæ assertur inter Iureconsultos à Carranza ubi alias num. 82. pro conjectura suppositi partus in puerpera, de qua nos in seq. pro nunc sciendum, ut alias adnotavi, lac prægnantibus supervenire tertio vel quarto mense, itaque in

muliere, quæ se prægnantem dicat, jam transacto quarto mense, non supervenientia lactis faciet contra eam præsumptionem simulatæ prægnantiæ, & erit quippe hæc præsumptio maxime urgens, & tanto magis, quanto conceptus provectior erit. In partu autem si nullo modo lac appareat, absque dubio magnam dabit suspicionem suppositi partus. circa quod tamen sciendum, aliquas foeminas à natura sine lacte esse, ut testatur Hipp. lib. 1. de morb. mul. tex. 99. alias autem id ipsum ex accidenti, & ex morbo habere, ut lac non generent, ut idem Hipp. testatur in lib. de Glandulis. tex. 12. quin etiam & ali- quibus foeminis lac ex aquarum duritia, ac cruditate extingui, ita ut pueros nutriti non valeant, narrabat in lib. de aer. aquis & locis num. 7. Itaque videbatur conveniens non tantum fidere huic præsumptioni non supervenientia lactis, cum possibile sit mulierem fuisse enixam, & lac in mammis nullo modo habere ex una aut pluribus ex prædictis causis, quod etiam militare potest in probatione simulatæ prægnantiæ, cum ex lactis carentia non possit concludenter deduci etiam in debito tempore, mulierem utero non gerere. sunt tamen nonnulla signa, quæ satis demonstrant, an lac in muliere à natura, vel à morbo, vel ab aquarum prava qualitate deficere contingat, siquidem si lac à natura deficiat, mulier à natura sortitur solidam ac densam carnem, ut loco cit. de morb. mul. Hipp. docebat; ipsa quoque mammarum constitutio id ipsum commostrarit, nam & ipsæ erunt solidioris substantiæ, & mulier cum his non habeat pectus carnosum, ut cæteræ habent, non potente nutrimento, ut in cæteris, tam facile ad pectus se conferre. Adde quod necesse erit mulierem, quæ vere peperit, & lac ob corporis densitatem non habet, aliqua symptomata pati non fecus ac eæ patiuntur, quibus ex morbo, aut alia quadam calamitate mammae ademptæ sunt, seu potius, inquam, lactandi usum; nam, & vox ipsarum, inquit Hipp. loco cit. de Glandulis. aspera redditur, & humores in gulam veniunt, & multo spatio vexantur, & caput dolent, & ab his ægrotant; quorum omnium rationem reddit, subdicens: lac enim proficiens, ac influens ab utero, quemadmodum etiam ante in suprema vasa transibat, quum propria vasa non habeat, nec reperiat, ut pote ipsis per mamma- rum ademptionem privatum, in principales corporis partes insumit, cor videlicet, ac pulmonem, atque sic suffocantur. Nec fecus aliis quibusdam foeminis evenire forte debet, quæ ob pulchritudinis causam, lac ad mammas recurrere non permittunt, aut eas dum adhuc virgines sunt, quibusdam frigidis ac adstringentibus medicamentis in decora parvitate custodientes, aut cum prægnantes sunt iisdem medicamentis aliique lac extinguentes; has enim ut superiores & sibi, & foetibus nocumentum asserre palam est, ut notat Daniel Sennert. lib. 4. sue Med. par. 3. scilicet. 2. cap. 1. ergo à quacunque causa præternaturam extinguitur lac, aliqua signa apparebunt, quemadmodum etsi ob potum pravum aquarum id continget, non difficile erit hoc cognoscere, considerando ipsas aquas, quibus prægnans, aut puerpera, de qua dubitatur, usa est. Itaque hoc ratum omnino habendum, quod simpliciter loquendo, & ut plurimum carentia lactis in prægnantia post quartum mensem, & in puerperio facient maximam præsumptionem vel simulatæ prægnantiæ, vel suppositi partus.

Conjecturæ porro, quæ desumi possunt ex parte

28 ac-

utriusque, viri nempe & uxoris, desumuntur ex prægressa sterilitate, ex habitu & temperatura, ex odio inter ipsos, ex prægressa sterilitate, quia si diu simul cohabitaverint, & nunquam generaverint, præsumptio erit suppositiois partus, non quod sit impossibile, quod conjuges, per decennium & ultra simul habitantes, non generaverint, & de hinc generent, quia hoc evenire solet aliquando, sed quia rarum est, jure præsumptio videtur rationalis esse.

30 ex habitu potest desumi præsumptio, si uterque conjugum sit admodum pinguis, non modo enim difficillimum est hos simul junctos generare, sed magnam habet difficultatem hos simul jungi posse in actu venereo ob extuberantem ventrem. Sic si essent nimis macilentis, aut uterque dotaretur eodem temperamento nempe nimis calido, vel nimis frigido, tales enim difficulter generant, ut alias dixi.

31 Odium quoque potest facere aliquam præsumptionem suppositiois partus; nam si hoc probetur adesse inter conjuges, & sit grave, diuque duraverit, vix credendum est ex ipsis prolem unquam nascituram, quod odium conjugum, ut Tit. 1. hujus libri dixi, impediatur maximo opere generationem.

32 Restat ultimo loco unica præsumptio, desumpta ex dissimilitudine nati ad parentes, de qua Farinac. loco citato num. 158. licet autem hæc alias, & per se parvi momenti esset, tamen si aliis adminiculis conjungeretur, maxime urgeret, cum naturaliter filii nati debeant similes parentibus, aut alteri saltem ex parentibus, ut dixi alias Lib. 1. Tit. 5. quæst. 4. num. 6. patet quia ex ipsa similitudine illico devenimus in cognitionem filiationis, cujus rei præter quotidiana exempla habemus etiam testimonium apud Homer. Odyss. 1. ubi Minerva alloquitur Thelemachum in hæc verba:

*Sijm ex ipso tantus filius es Pylisse,
Vehementer enim capite, & oculus pulchroris similis es illi.*

Sed de hac re plura qui desiderat, adeat Titulum supra citatum.

S V M M A R I V M.

- 1 Mulier an abortiverit, quomodo cognosci possit.
- 2 Abortus junioris signa.
- 3 In abortu per vim provocato vix possibile est nihil præter naturam intervenire.
- 4 Conjectura aliqua procurari abortus.
- 5 Conjectura abortus ex statu mulieris.
- 6 Conjectura ex pedore, & mammis.
- 7 Grandioris abortus signa.
- 8 An Mulier unquam pepererit quomodo cognoscatur.
- 9 Venis rugositas facit suspicionem partus alias facti.
- 10 Venis rugositatem quomodo evitent Mulieres, quæ utero gerunt, aut parvum.
- 11 Venter contraxi potest ex aliis causis, quam ex prægnantia.
- 12 Præsumptio partus ex corporis statu.
- 13 Lac ex sola menstruorum retentione generari potest.
- 14 Pudenda Mulieris, quæ peperit, quomodo se habeant.
- 15 Signa Mulieris recentis enixæ.
- 16 Venæ in partu dilatantur, & num. seq.

18 Pudenda Mulieris in partu tument adematosa quodam tumore.

19 Caruncule Myrroides in partu obliuenterum.

20 Ex lacte maxime luxuriante partus Mulieris elicitur.

21 In recens enixæ lac cum lochiis, & urina expurgatur.

Mulierem peperisse, aut abortum fecisse, ex quibus conjici possit.

QUÆSTIO IX.

Quemadmodum nonnullæ mulieres fingunt se peperisse, partus alienos sibi supponentes, sic alia, ut suam infamiam & impudicitiam contegant, partum celant, aut impio conatu abortum procurant, eam ob causam dubitatur aliquando, an mulier pepererit, aut an abortum fecerit, nec ne. itaque tripliciter dividenda hæc quæstio est, nam vel queritur, an mulier abortum procuraverit, vel queritur, an pepererit, idque dupliciter, vel enim queritur, an unquam pepererit, & mater fuerit facta, vel an pepererit de recenti. pro prima parte quæstionis sciendum, quod in procurato abortu, vel foetus erat tenerior, & recentior, ut qui non pertransiret tertium mensem, aut ad summum quartum, vel erat major, & qui quartum pertransiret, junioris abortus signa perquirere inanis labor mihi videtur, cum aliquando ita de facili contingat abortus in primis mensibus, ut difficiliorum ipsæ mulieres experiantur interdum menstruo- rum purgationem. tamen possunt & hic nonnullæ adhiberi præsumptiones & conjecturæ, nam vix possibile est aut credibile est, in abortu, qui medicamentis validioribus, & ex arte procuratur, nihil succedere, quod præter naturam sit, præcipue cum talia omnia medicamenta calida magna ex parte sint, & sanguinem, corpusque mulieris plurimum exagitent, consequens ergo est ab eorum assumptione, aliquem dolorem præter consuetum, vel calorem extraneum mulierem pati, præsertim vero in pudendis, inibique pondus quoddam perlentescere, & in regione renum insuper dolere. quin etiam consensaneum est, febrem aliquam accendi tum ob ipsorum medicamentorum violentiam, & insignem caliditatem, tum ob agitationem, & validum motum in abortu excitatum. revocandæ itidem in mentem sunt aliæ conjecturæ, quæ mulierem fuisse prægnantem poterant demonstrare; nam si mulier 4 exempli gratia male colorata præter solitum videbatur, vomitibusque non consuetis obnoxia, appetitu rerum extranearum sollicitata, aliique prægnantiæ notis non destituta, mox autem eam videtur purgationes pati, atque illas quidem copiosas, & consueto ubiores, sanguinemque fluentem bene coloratum, ac diutius, quam menstruum prodens deberet, perdurare, cum aliquo ventris dolore, & ponderis sensu, tunc ex his suspicari licet, talem cum utero gereret, foetum abortu abjecisse, considerandus insuper est ipsius mulieris status, nam si ob simplicem purgationem menstruam, sanguinis fluxum patitur, à naturali statu non mutatur, aut parum admodum, si sanguis superfluat, at si ex abortu id sit, & præcipue si medica-

mentis validis fuerit procuratus, hoc esse non poterit ut plurimum sine aliqua virium labefactione, & lassitudine quadam, & molesto sensu, & faciei pallore, & huiusmodi.

6 Cum his etiam pectus considerandum, præcipue grandiore foetu, nam mammae in abortu lacte turgent, quod ubi menstrua purgatio procedit, minime evenire solet; & hæc omnia facere, inquam, possunt aliquam conjecturam prægressi abortus, non tamen tutam, aut certam per se; aliis tamen indicis associata nequaquam erunt contemnenda.

7 Cum autem foetus grandior est, ut si pertranseat quartum mensem, tunc ea omnia, quæ commemoravi, & majora, & multo magis conspicua sunt; & conjecturae illæ, quæ ex vi medicamentorum, & ex prægressis prægnantiæ signis supra recensitæ sunt, multo magis urgebunt, præterquam quod alia quoque in hoc casu adhiberi possunt; quas mox adducemus, de partus signis sermone habentes, & hæc posteriores tanto magis afficient, quanto foetus grandior, & partui propinquior erit; tunc enim nihil distabit ab eo, qui tempore debito in lucem prodit, nisi fortasse magnitudine symptomatum, quæ semper in abortu, utpote motu, & actione præter naturam, majora & magis molesta erunt.

8 Pro secunda parte huius quæstionis, in qua quaeritur, an mulier unquam pepererit, vix quicquam est quod asserri possit, præter unum aut alterum signum, idque est ventris rugositas, & scabrities, quæ tanto magis conspicua apparet, quanto grandior & obfior fuerit foetus, quem mulier utero gestaverit, & quanto plures etiam gestaverit: ex foetus enim crassitie & magnitudine, venter magis magisque distenditur; ubi autem, foetu in lucem edito, subleiderit, maxime rugosus ob eam causam

10 evadit. Advertendum tamen primo circa hoc esse, ex mulieribus nobilibus præsertim nonnullas, quæ & ingenio, & medicamentis id incommodi aut deformitatis evitent, convenientibusque emplastris illico à partu ventri admotis, vel linimentis nonnullis adhibitis, aut in prægnantia subligaculis utentes ad ipsum ventrem sustineant, ne tantopere distendatur, & alia medicamenta in hunc usum convocantes, sic rugarum contractionem effugiant, neque ex ventris planitie ipsas non peperisse tutum est pronunciare, cum ea non obstantia peperisse putaverint, quanquam semper notabilis differentia erit in ventris levitate ubi mulier non pepererit, quia non obstante artis subsidio & ingenio, semper levitas illa naturalis deperditur.

11 Advertendum secundo, quod à quacunque causa venter magnopere, & per longum tempus distensum permaneat, ubi subleiderit, rugas quoque contrahet; & idcirco hoc signum poterit esse viris & virginibus commune, si hydrope, aut aliquo magno ventris tumore interdum laboraverint; ut recte notat Pinæus lib. 1. de notis Virgin. cap. 7. itaque præstat ante perquirere, an mulier ullo ex his morbis unquam laboraverit. ne ab hoc signo decipiatur.

12 Potest quoque præter huiusmodi signum, desumi aliqua prælimprium ex corporis constitutione, præsertim vero ex mammis, & pudendis; non enim dubium est in his, quæ pepererint, mammae esse laxiores, flaccidioresque, earumque papillas colore esse magis fusco; quam in virginibus, & iis, quæ

non pepererint, idque ea ratione fit, quia ubi mulier utero gestaverit, ac distenduntur, ubi vero lac siccescat, illæ subsident, laxiores, ut dixi, & flaccidiores, quam antea fuerint, evadunt, licet & ad hoc ipsum remedia non sine optato successu excogitata sint. quanquam autem ex simplici menstruum retentione lac etiam generari possit, nunquam tamen in tanta copia generari potest, ut in prægnantia, & ex consequenti mammae non adeo distenduntur, maxime cum lac tunc temporis tenuior, & aquosior sit, unde neque cum subsidunt, ut in his, quæ pepererint, laxari eas contingit, aut flaccescere.

Idem quoque evenit de pudendis, quia in partu pudendorum labra & Nymphæ maxime protenduntur, ut dicemus, quin etiam maxime tumet: itaque cessante ea causa, partibusque subsidentibus, flaccidiores & laxiores eas reddi necesse est; præterquam quod ob magnam dilatationem in partu factam viæ ipsæ patentiores sunt; hoc tamen non est necessarium semper ita esse, quia interdum uterus à partu ita angustatur, ut ex ejus angustia potius integritatis, quam partus indicium desumi possit; quin immo, & id ab ipsis mulieribus medicamentis procuratur. sunt etiam præterea quæ uterum à Natura patentem & laxum habent, ita ut etiam virgines existentes corruptæ ex hoc appareant; unde priores ob angustiam & coherentiam uteri (si huic tantummodo signo fidem habes) incorruptas judicabis, cum corruptæ sint & pepererint, posteriores contra.

Quoad tertiam denique partem quæstionis, in qua quaeritur de signis mulieris recenter enixæ, dicendum, ea plura esse, & posse simul juncta quasi concludenter probare, mulierem peperisse, ante tamen admonendum, quod ea signa magis conspicua sunt decem prioribus diebus, aut circiter à partu, mox minus conspicua decem subsequentibus, & sic etiam multo minus conspicua succedente tempore usque ad quadraginta, post quem terminum vigent ea signa, quæ superius commemoravimus, quorum primum non duo modo, sed per totum vitæ curriculum perdurat, nimirum ventris rugositas; secundum hoc est, ventris aliarumque partium flacciditas quibusdam permanet quidem, in aliis sensim obliteratur, ac denovo ipsæ partes solidiores evadunt, præsertim si optima sanitate mulieres fruuntur. sed ad alia signa devenientes, primum scire decet, quod quicumque notum est, in partu non modo fieri dilatationem ipsius oris uteri exeunte foetu, sed etiam venas omnes aperiri, sanguinemque in eo conato affluenter effundere; itaque licet sanguinis fluxus hic quolibet menstruo spatio fiat, tamen differt alter ab altero, quod in hoc venæ majores, & in summa omnes, in menstrualibus minores, & nonnullæ tantum adaperiantur, in hoc maxime hiant, in menstrualibus minus; in hoc majori quantitate, & diutius sanguis effunditur, in menstrualibus, quantitate minori, & minus durat. Secundo vias uteri præter venas, præsertim collum, & partes; quæ facili negotio oculis examinari possunt, maxime distensas fuisse necesse est. Tertio pudendæ partes adematose quodam tumore extuberant, ut adnotat Pinæus lib. 1. de not. Virg. cap. 7. quin etiam pudendorum labra & nymphæ in tantum protenduntur, ut carunculae illæ triangulares Myrtoideae, dictæ omnino obliterantur,

20 renent, neque per septem sequentes dies appareant, ac si nunquam extitissent, testante Rioli. filio in An- thropograph. lib. 2. cap. 32. & Pinæo ubi supra. Quarto ex lacte in mammis collecto facile cognosci potest, mulierem peperisse, tunc enim maxime luxuriat, & ipsæ mammae adeo turgent, ut interdum, & ut plurimum dolorem faciant, & quandoque indurescant, & apostementur; quanquam & ad luxuriantem lactis copiam, immo ad ipsius omnimodam extinctionem facilia mulieres medicamenta habent, & præstantia.

21 Denique in recenter enixis lac sincerum una cum Lochiis per uterum expurgari adnotatur, ut testes sunt Holler. comm. 7. Aphorif. 3. in Schol. & Toubert. lib. 4. Err. popul. cap. 11. & Pinæus ubi supra, qui etiam cum urina mulieris interdum ipsam lac fatetur, & quando hoc signum adesset, faceret omni procul dubio omnimodam probationem, aliis præsertim signis & conjecturis associatum.

S V M M A R I V M.

- 1 Simulatur id, quod non est, dissimulatur id, quod est.
- 2 Dissimulant aliqui morbos ad quem finem.
- 3 Impotentia coeundi dissimulata ex quibus deprehendatur.
- 4 Epilepsia dissimulata quomodo detegatur.
- 5 Experimenta ad detegendam Epilepsiam.
- 6 Gallicus morbus, si dissimuletur, quomodo deprehendi possit.
- 7 Valetudo dissimulata ex quibus possit cognosci.
- 8 Prægnantia dissimulata quomodo cognoscatur.
- 9 Mulierem utero gere re universaliter loquendo pro certo affirmari non potest.

De Morbos Dissimulantibus.

Q V A E S T I O X.

Q Vemadmodum nonnulli, de quibus hæcenus verba fecimus, cum nullum morbum patiantur, se tamen aliquo ex commemoratis affectos fingunt, & idcirco morbos simulare dicuntur, sic alii permulti sunt, qui cum morbum aliquem patiantur, eum pro viribus celare student, atque hi dissimulare morbos dicuntur: simulatur enim id, quod non est, quasi sit, vel alio modo quam sit, dissimulatur vero id, quod est, quasi non sit, vel alio modo quam sit. Cardan. in Proxeno, vel de prudentia civili, cap. 53. Vnde illud Horatii lib. 1. Epist. — Occulatam febre sub tempore edendi Dissimules.

2 Ratio autem dissimulandi multiplex est. alii dissimulant morbos quosdam, quia detecti vel non possent contrahere matrimonium, vel certe cum magna difficultate, ut esset impotentia coeundi, contagiosus aliquis morbus, & maxime Gallicus; alii alios dissimulant, quia iis morbis affecti à dignitatibus Ecclesiasticis, ab ingressu Religionis, à muneribus publicis abdicantur, ut esset exempli gratia Melancholica infania, Epilepsia, perpetua valetudo, Gallicus morbus, & alii. Quin etiam mulieres, quas minime in utero habere decet, si conceperint, conceptum quantum possunt celant etiam ipsæ & dissimulant. Ergo necessarium videtur, etiam horum fraudem detegere ac deprehendere; quamquam ut notissimum cuilibet est, ubi nulla suspicio sit, nul-

lus est hujus doctrinæ usus, sed ubi aliqua suspicio irrepleat, hæc pauca quæ sequuntur in singulis casibus observanda veniunt.

Impotentiam coeundi demonstrare facile possunt plura ex sequentibus signis simul concurrentia, de quibus etiam titulo primo abunde egimus: sunt autem paucitas pilorum in barba, & consuetis locis, & præsertim in pube: Testes vel nulli, vel exigui admodum, vel suum situm non servantes, tactu frigidi, & pendulus cum ramice nervus, qui & ipse exiguus fuerit, flaccidus, & emortuus, vel obtortus, vel aliquod aliud insigne præferens vitium. Ad hæc corporis habitus accedet vel inutili mole insignis, vel gracilitate notabilis ac tenuis; ætas etiam ipsa, si declinans aut præcipitata sit, id ipsum attestabitur, & alia, de quibus abunde loco citato.

Epilepticus si quis fuerit, & id dissimulare velit, signis & experimentis deprehendi facile poterit, signa oculi erunt turbulenti, obscuri, torvi intuitus, facies melancholica, color plumbeus aut lividus, capitis mala compositio, & alia huiusmodi, experimenta multa sunt huic negotio dicata, & à Dioscoride, Plinio, Apulejo, Emilio Macro, Avicenna, Rasi, & aliis tradita. suffumigio ex cornu cervino, aut ex lapide Gagatæ Epileptici illico cadunt, idem præstant comesta, & suffumigata jocinora Capræ, vel Hirci. Apium Epilepticum prode nonnulli prænominatorum firmanunt, neque desunt alia, sed nobis hæc satis superque sunt. si quis plura desiderat, adeat Iasonem Pratensem de morb. capitis, cap. 23. quod totum est de detegentibus Epilepsiam.

Qui Gallico Morbo aliquando affecti fuerint, si adhuc ejus vestigia remanserint, his signis conspiciuntur: aliquo nimirum capitis, seu juncturarum dolore gravativo potius, quam alterius cuiuspiam generis, de nocte magis, quam de die affligente, faciei colore lurido ac malo, depilatione tam capitis, quam barbæ & palpebrarum, aliorumque locorum, dentium nigrore, oris halitu foedo, ulceribus tibiariarum, vel aliarum quarumcumque partium difficile sanabilibus, nasi & faciei rubedine molesta, raucedine perpetua, tumoribus; quos gummas, vel gummata vocant, stigmatibus in pudendis, aliisque corporis partibus, quæ ulcera jam passæ aliàs fuerint; gonorrhœa, cicatricibus ex apertione bubonum, aliorumve apostematum relictis, membrorum impotentia, & his similibus. quod si adhuc morbus vigeat, multo magis conspicua hæc erunt, & ipsi bubones, aliique tumores adhuc apparebunt, pustulæ universum corpus descendentibus rubræ, & difficulter amovibiles; falsa destillatio nonnullos cum his exercet, quæ ad pectus devoluta, tabem excitat, & ut uno verbo plura dicam, vix, si cum perito Medico negotium sit, is morbus dissimulari poterit.

Cæterum qui valetudinarii sunt, aspectu ipso se produnt, quod si hoc sufficere non videatur, etiam alia consideranda, venter obtrectandus num obstructions secundum internas partes aliquas habeat, urina inspicienda num tenuis, aquosa, crudaque assidue, & de mane præsertim reddatur, adnotandum etiam an flatibus copiosis vir infestetur, an illi os oleat, & alia consideranda, quæ non Medicis solum, sed cæteris etiam extra artem notissima sunt, quibus facile valetudinem deprehendimus.

8 Denique mulieris, quæ prægnantiam dissimulet in prioribus mensibus, fraudem cognoscere videtur omnino impossibile, quod etiam Silvaticus demonstrabat in lib. de his, qui morbum simulant cap. 18. Sed si jam quatrimestri, aut quinquemes- tri foetu gravida extiterit, vel nolens tumefactione ventris, & motu foetus ipsius in utero, præcipue

si validus sit, se ipsam manifestabit; quamquam enim generaliter loquendo, nunquam certo firmari potest, mulierem utero gerere, in particularibus tamen aliquando ex motu foetus, & tumefactione ventris pro certo id firmari potest, atque tanto facilius, quanto major erit foetus post quartum mensem.

Tituli Secundi finis.



PAV-

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM
MEDICO-LEGALIVM

LIBRI TERTII

TITVLVS TERTIVS

De Peste, & Contagio,

Continens Quæstiones sex;

quarum

- | | |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------|
| I. Pests quid sit, quid item Epidemia, & quæ sit inter eas differentia. | Pag. 173 |
| II. Quas condiciones habere oporteat morbum Epidemicum, ut Pests dicatur, & ad hoc, ut pestis privilegii locus detur. | 176 |
| III. De signis futura, aut presentis Pests. | 183 |
| IV. De cura præservativa à Peste. | 185 |
| V. Quid sit contagium, quid, & quotuplex contagiosus morbus. | 188 |
| VI. Iureconsultorum assertiones nonnullæ circa contagium, & contagiosos morbos, quibus in casibus locum habeant. | 190 |

ij. P 2

Admo-